DE

MORBO BRIGHTII.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. JUNII A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
EDUARDUS THORN
RHENANUS.

OPPONENTIBUS
C. SCHACHT, MED. ET CHIR. DR.
H. JUERGENS, MED. ET CHIR. DR.
F. FRANK, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE,

AD CINERES USQUE COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

CAP. I.

Vix ullus est morbus in tota pathologia, de cujus natura atque origine tantae inter viros doctos etiamnunc tenebrae exstant, quam de morbo secundum primum auctorem diligentiorem R. Bright [1]) nominato. Jam ante eum J. Blackall [2]) animadverterat, crebro copiam albuminis majorem in urina hydropicorum reperiri, et paulo post docuit Bright medicos causam multorum hydropum nondum inventam, peculiarem mutationem substantiae renalis, quae in eo potissimum cernitur, quod substantia corticalis cum damno substantiae medullaris aucta superficiem non laevem, sed granulatam, plerumque decoloratam ostendit: porro quod ejusmodi granulationes gradibus

---

[1]) Reports of a medical cases selected with a view of illustrating the symptoms and cure of diseases by a reference to morbid anatomy by R. Bright one of the Physicians to Guys hospitale. Vol. I. London 1827.

[2]) Ueber das Wesen und die Heilung der Wassersucht und vorzüglich über die Gegenwart gerinnbarer Lymphe des Bluts im Urin. Aus dem Engl. nach der 3. Auflage von J. Radius. Pesth 1821.

morbi altioribus in superficie renum plures exstant atque morbo etiam longius provecto ren apparet lobulosus et, quamquam raro, alba corpuscula interposita cernuntur. Praeterea morbo procedente auctori urina saepissime calore et acido nitrico coagulabilis apparuerat, aegrotus saepenumero de doloribus in regione renali questus erat, et sanguinolentam vel etiam aliter coloratam urinam miserat.

De propria hujus renum mutationis natura nihil certi Bright prodidit, nisi quod suspicatus est, fortasse per inflammationem materiam novam in renibus productam esse, quam originem effectus venaesectionis et haematuria interdum obvia defendebat. Posthac chemicus Bostock urinam talium aegrotorum specifice leviorem esse quam hominum sanorum, et albumen continere animadvertit, quod in sanguine copia minore deprehendatur. Duobus annis post Christison [1]) inventum Brightii confirmabat, documentis probans, urinam nisi renibus degeneratis non coagulabilem esse, morbum verisimiliter inflammatione lenta exoriri, et hac ipsa de causa sanguinis depletiones multum prodesse, praesertim quum sanguis valde crassas crustas inflammatorias exhibeat. Praeterea optime meritus est animadversione, hoc in morbo urinam saepe uream statu sano collato dimidiam continere, imo eam morbo longius progresso etiam in sanguine exstare.

---

[1]) In Edinb. med. Jour. Vol. 32. 1829. et on granular degeneration of the Kidney's, and its connexion with dropsy, inflammations and other diseases. Edinb. 1839. Uebersetzt von Mayer mit Anmerkung. von Rokitansky. Wien 1841.

Andral[1]) istam renum degenerationem hypertrophiis adnumerat, negat autem hydropem per eam explicari posse.

Sabatier[2]) doctrinam Brightii approbabat, sed censebat, ad urinam coagulabilem producendam non granulationes necessarias esse, sed renem solito molliorem requiri, maxime vero substantiam corticalem cum damno substantiae medullaris auctam. Functionem substantiae corticalis sic modificatam opus esse, ut solum seri albumen, neque vero serum ipsum permeare concedat. Secundum permulta a Rayer[3]) instituta experimenta de qualitate urinae in morbis diversissimis, urina tunc tantum tenet albumen, quando morbus Brightii renes corripuit. Is quoque crustam conspexit inflammatoriam in sanguine detracto, et hanc degenerationem etiam in infantibus invenit. Adversatur idem Christisoni et Tissoti opinioni, serum ipsum ex sanguine statim in urinam transgredi, ratus quidem, renem sanguini albumen, interdum etiam pigmentum detrahere, eoque tenuius factum serum sanguinis jam facilius in telam cellulosam infiltrari posse, et quum nullae causae mechanicae, veluti impedimenta circulationis venarum etc., reperiri queant, vitalem intercedere debere.

---

1) Precis d'anat. pathol. Paris 1829. Vol. 2. Spezielle Pathologie. A. d. Franz. Berl. 1838. Bd. II. p. 239.

2) J. G. Sabatier, über Wassersucht als Symptom eines besondern Nierenleidens, im Arch. gén. Juill. 1834. Schmidt's Jahrb. V. p. 182.

3) Traité des mal des reins. Paris 1837. A. d. Franz. von Krupp, Leipzig u. Kassel 1839. u. in l'expérience N. 42. 1838. (Schmidt's Jahrb. XXI. p. 52.)

Graves albumen urinae in anasarca invenit, quae sanabatur, quo quidem minime probatur, renum degenerationem Brightianam non exstitisse.

CAP. II.

Praeter nomen *morbi Brightii* multi etiam alia receperunt nomina, e. g. *granulationem renum*, *albuminuriam*, *albuminorrhoeam*, *ororrhoeam*, Néphrite albumineuse; sed quia haec nomina symptomata potius quam indolem morbi designant, praestare videtur, morbum secundum primum auctorem accuratiorem nuncupare.

Signum pathognomonicum morbi Brightii urinam calore acidisque coagulabilem, una cum anasarca vel ascite statuerunt. Quum autem experientia comprobatum sit, ubi haec exstarent, atque sectio fieret, non ubique degenerationem Brightianam repertam esse, illa signa non per se sola habenda sunt pathognomonica, sed nonnisi adjunctis aliis ad diagnosin stabiliendam momenti maximi.

Urinae copia non tantopere imminuta est quam in hydropibus aliis, aliquando urinae secretio etiam copiosa. Crebro ab unciis XXXV vel L per diem ad XV vel XII vel plus minuitur. Passim sub finem demum morbi minuitur, atque adeo prorsus supprimitur urinae secretio, nec nisi per catheterem tum urinam vel minimam vel nullam provocamus. Quo copiosior urina, anasarca simul extensa, in morbo Brightii existit, tanto pejor prognosis esse dicitur. Ubi urina postremo prorsus desinit

fluere, plerumque symptomata cerebralia, coma, deliria, convulsiones intrant, aut diarrhoea oritur pertinax.

Morbo ineunte urina saepenumero speciem habet sanguinolentam et colorem ex nigro subrubrum, aut diversa crassa sedimenta fusca deponit, aut opalescit; in nonnullis aegrotis saepe mane est pallida, vespere rubore sanguineo. Plerumque colore stramineo, prasina, turbida, ut serum lactis; raro tantum pallida est, inspirando et versando formantur bullae, quae dirumpuntur. Secundum disquisitiones Rayeri tali modo $^1/_{600}$ albuminis reperire potes.

Porro pondus urinae specificum imminutum est, plerumque 1,013 vel 1,018, ita ut multum differat a sana, cujus pondus specificum est 1,924 vel 1,026. Symptoma gravissimum autem est coagulabilitas urinae per calorem vel acidum nitricum. Quoniam per illum praeter albumen etiam salia phosphorica praecipitari queunt, quae sedimentum albumini simile deponunt, opus est, ut nobis de albuminis contento plane persuadeatur, aliquid etiam acidi nitrici addi, quod salia phosphorica solvat. Quando urina alcalica est, alcali coagulationi resistens, acido acetico neutralisatur. Quia per acidum nitricum salia urica praecipitari possunt, necesse est, praecipitatum candefiat, quo salia urica solvantur.

Quod quantitatem attinet albuminis, ex observationibus huc usque factis recta uti videtur ratione cum morbo increscente et decrescente. Rayer ex experientia docet, licet etiam aliis in morbis acutis interdum vestigia albuminis in urina reperiantur, in nullo tamen horum casuum coagulum plus quam $^1/_8$ fluidi tenere. Teste Christison $^{27}/_{1000}$ summa est ratio, qua albu-

men in urina deprehenditur. Quaeritur jam, num albuminis contentum, quum etiam in urina multorum morborum aliorum exstet, constans signum sit diagnosticum, necne.

Secundum observationes Martini, Soloni, Bressleri, in morbis acutis albumen obvium est, maxime tempore crisium; secundum illas Wellsii, Desiri, Rayeri in multis morbis acutis, ubi urina coagulabatur, revera etiam renum degeneratio inveniebatur; ex observationibus Andersonii [1]), albumen in urina nonnunquam detegebatur in apoplexiis, in dyspepsia, in postremo phthisis stadio, in diabete, in pluribus etiam aliis renum morbis, sicut in haematuria ex cancro et calculis, in tuberculis renalibus, in hydrope renali, in genere quodam anaemiae, in paralysi quadam substantiae medullaris ossium; auctore Hankel medulla spinali conquassata; secundum Solonum in morbis cordis, renibus non simul affectis; ex experimentis physiologicis, quae instituerunt Krimer et Naveau, in urina canum, quibus renum nervi persecabantur et nervus sympathicus vagusque galvanismo irritabantur. Denique qualitas albuminosa adeo in urina hominum sanorum quibusdam nutrimentis, difficili nec satis cocto pane, pinguioribus cibis farinaceis, vel levioribus concoctionis turbationibus provocabatur.

Proinde termini arctissimi statuendi sunt et judicandum est, albuminis contentum tunc solum, quando copia

---

[1]) Lond. med. Gaz. Vol. XV. March 21—28. 1835. Ueber die von den Nieren ausgehende Wassersucht. Schmidt's Jahrbücher V. IX. p. 305.

adsit majore (secundum Rayer $^1/_8$ vel $^1/_4$ fluidi), *constans*, adjuncta exsudatione serosa, sive subcutanea sive ascitica, plerumque morbum pathognomonice indicare: quamvis non desint exempla, ubi deficientibus quidem phaenomenis hydropicis tamen Brightiana renum degeneratio reperiebatur. Ubi alii status morbosi causa sunt urinae coagulabilis, hi partim cognoscuntur ex inconstantia symptomatis, partim ex pondere specifico non simul mutato, partim e minore albuminis copia, partim e defectu signorum hydropicorum et ex ceteris symptomatis comitantibus.

Urinae reactio solet acida esse, nonnunquam vero neutralis est, quin etiam alcalica, quod postremum ex imminutione vel majore vel minore ureae et acidi urici, sicut ceterorum firmorum urinae elementorum pendet. Ubi decrescentia vix percipi potest, acide, ubi major est, neutraliter reagit. Secretionem ureae illa albuminis quasi resarciri, dubium est. Ut Christison et Bostock docuerunt, copia albuminis in urina non utitur accurata ratione cum tota urea; auctore Willisio defectus ureae secundum copiam exstantis albuminis comparatus esse solet; interdum in urina albuminosa tantum ureae, quantum albuminis obvenit. Rarissime vicissitudo inter secretionem albuminis et salium uricorum cernitur; ubi haec vel urea crystallina inveniuntur, ibi albumen disparet et denuo prodit, quando illa evanescunt. Teste Rayer sedimentum urinae albuminosae plurimum ex parvis epithelii stratis, nonnunquam ex muco et sanguinis corpusculis parvisque crystallis acidi urici constat.

Ex iis, qui urinam albuminosam microscopio pervestigarunt, Gregory rubra sanguinis corpuscula detexit,

Gluge[1]) in urina sine colore rubello alienam massam granulis tenuibus, quae, si albuminis contentum majus est, multas insulas continentes format. Coagulationem, sicut formationem arborisationum quarundam in massa coagulabili, ait, addito acido nitrico proferri. Interdum in tali solutione albuminis nonnulla corpuscula pellucida inesse, minora illa quidem sanguinis corpusculis, et crystalla nonnulla, substantias solas animadvertendas; aliquando vero etiam inesse in urina minorem majoremve numerum corpusculorum puris. Frequenter urinam talium aegrotorum, praesertim quum per aliquantum temporis in angustis tubulis vitreis asservetur, albide subflavum sedimentum exhibere, quod plerumque ex cumulis corpusculorum puris, quae pondere suo specifico desederint, et e numero quodam crystallorum constet. Inveniri igitur puris corpuscula in urina nonnullorum morbo Brightii affectorum, nec vero in omnibus, quod ex morbo gradatim sese evolvente pendeat. In aegrotis, qui mane interdum pallidam, vespere rubore sanguineo tinctam urinam reddebant, Gluge in vespertina microscopio nulla vidit sanguinis corpuscula, ne illa quidem modo memorata. Microscopio levis solum color subflavus multaque puncta nigricantia in albuminis insulis conspici poterant. Colorem puniceum igitur nihil aliud quam communicatam solutionem pigmenti sanguinis habere licuit.

---

[1]) Untersuchungen über das Wesen der von Bright entdeckten Entartung der Nieren in der Wassersucht d. z. Paris. Schmidt's med. Jahrb. XXI. p. 58.

Hecht[1]) in urina sanguinolenta ex morbo Brightii laborantium sanguinis corpuscula reperit copiosissima, ac minima corpuscula cum nucleo, quae pro epithelio canaliculorum uriniferorum duxit; praeterea passim etiam compositos globulos inflammatorios et puris corpuscula.

Non minus, quam qualitas urinae secretionis, gravia sunt hoc in morbo quae prodeunt hydropis phaenomena. Apparet hic vel anasarca vel ascites, et plurimum comitatur albuminuriam. Partes, unde proficiscitur, non semper sunt pedes, sed plerumque facies neque minus manus. Ejusdem extentio ac vehementia multum differunt, neque cohaerent cum morbo vel increscente vel decrescente. Observationibus demonstratum est, sub letalem morbi exitum saepe hydropem minutum esse, imo prorsus discessisse, quin etiam, auctore Bright, omnino non exstitisse. Idem ait morbum posse cum tota sua vehementia exstare, et repentino insidiosoque impetu mortem afferre, ne gutta quidem fluidi in telam cellulosam ulla decursus periodo exeunte, atque crebrius etiam deprehendi casus letales, ubi anasarca exstitisset et postea plane evanuisset. Tum etiam cognitum est, hydropem saepenumero morbo incunte valde universalem fuisse, aut finibus modo partis cujusdam limitatum, frequenter disparuisse crebroque rediisse, frigore humido increvisse, oedema esse vagatum, tum in brachiis, tum in pedibus, tum in cruribus apparuisse, eundem omnibus corporis partibus eo correptis, in alia magis evolutum

---

[1]) D. de renibus in morbo Brightii degeneratis. Berol. 1839.

esse quam in alia. Neque vero solum partes externae ab eo petuntur, sed etiam cavitates internae, plurimum quidem oedemate antegresso. Sic in morbi decursu collectiones serosae in sacco peritoneali et pleuritico, in pericardio, in ventriculis cerebralibus, in columna vertebrali comparent, ex quibus quidem frequentissima est illa in pleura obveniens. Eaedem autem cum anasarca conjunctae ex experientia Christisoni nunquam characterem insigniorem prae se ferunt, nisi renum morbum organicis vitiis cordis, pulmonum vel hepatis comitantibus. Praeter urinae secretionem et phaenomena hydropica qualitas sanguinis mutata signum diagnosticum certissimum est. Sanguis maxime in morbo Brightii acute decurrente ex vena missus crustam phlogisticam exhibet; tum discrepat elementis suis, fibrina quidem in eo copiosior exstat. Secundum Christisonum excepto stadio primo et reactione fibrinae contentum ratione utitur normali; tunc tantum modo fit immodicum, quando reactio fortuito regreditur ac sanguis crustam inflammatoriam clare ostendit. In stadio medio Christison fibrinam invenit ad partes 85 in 10000 sanguinis reactione praesente; progresso stadio tertio paribus rationibus partes 56 efficiebat, et in utroque crassissima et firmissima crusta phlogistica aderat. Alibi 27 vel 43 partes assequitur. Serum est lacteum, non pellucidum pondusque specificum eo minus, quo copiosius albumen continet urina, variatque inter 1025 vel 1018. Ex praeclaris Christisoni[1]) observationibus continet uream,

---

[1]) Christison in granular degeneration of the Kidneys, and its connexion with dropsy, inflammations and other di-

saepe ad partes 15 in 1000; minor est copia ureae in sanguine, si quantitas ureae in urina fere copiae in statu normali obviae par est. Urea ex sanguine abire dicitur, simulac morbus procedit, sed revertitur in tertio stadio maxime progresso, et interdum sub finem copiosior quam unquam deprehenditur, cujus mutationis causa patet. Etsi urina in stadio medio collatis elementis firmis manca est, tamen saepe non ita comparata est in tota illorum copia, quae quotidie continet, nam quamvis minorem habeat densitatem, quantitate tamen frequenter increscit; simulac autem morbus ad finem accedit, tam quantitas, quam densitas decrescit, et postremo nonnunquam ischuria existit.

Praeterea albuminis saliumque contentum seri mirum in modum comminutum est, et teste Christisono, adhibito aethere sulphurico materia pinguis (ut 1 ad 100) residet. Secundum Andral et Gavarret tribus in casibus organica elementa seri ab numero medio 72 ad 61, 5 vel 60, 8 vel 57, 9 recidebant, in casu postremo contentum elementorum organicorum sensim a 57, 9 ad 72 rursus escendebat, nec amplius urea albumen tenebat. Praeter imminutum albumen serum majus aquae contentum offert; Andral et Gavarret id a 790 ad 801, 867 vel 849 auctum invenerunt. Seriori morbi decursu, ut Christison docuit, haematinum, quod in stadio primo prope nullam monstrat mutationem, constanter et magnopere minutum est, eoque, sicut adaucta quantitate aquae aegroti perfectissimam anaemicam faciem leuco-

---

seases. Edinb. 1839. Uebers. von Mayer mit Anmerkungen von Rokitansky. Wien 1841. p. 47. 55.

phlegmaticam accipiunt. Etiam sub microscopio copia sanguinis corpusculorum in sanguine horum aegrorum imminuta videtur, contra conspiciuntur albidiora corpuscula majora.

Quartum signum diagnosticum est dolor in regione renali, qui obtusior est et premens neque, ut in aliis nervorum affectionibus, in testes aut labia pudenda majora extenditur. Pressione augescit, vel magna excitatur sensibilitas.

Cutis functio aut plane sublata, aut admodum exigua est. Sentitur aut calida aut frigida, sicca, aspera, lividamque vel pallidam speciem habet. Aliquando tamen sudor partialis in capite, in pectore, in palmis aut pedum plantis reperitur.

Vomitus et diarrhoea teste Gregory frequenter occurrunt, qui in casibus octoginta vomitum diarrhoeamque sexies quadragies invenit; Bright in exemplis viginti quatuor quinquies diarrhoeam deprehendit, nulla quidem mentione vomitus facta. Andralii aegroti plurimum diarrhoea vexabantur sine symptomate irritati canalis intestinalis, Christisono etiam dysenteriam cum exulceratione internae intestinorum membranae complicatam observante. Etiamsi autem diarrhoea adsit, nunquam tamen symptomata hydropica decrescunt; solet illa progresso stadio postremo praevalere.

In stadio primo diarrhoea non est crebra et paulo post cedit. Ubi vero degeneratio nonnihil processit, purgantia valent diarrhoeam pertinacem provocare; eadem etiam sine causa ulla aperta exoritur, multisque in casibus sola videtur mortem afferre. —

Dyspepsia cum vomitu chronico, auctore Christi-

sono, frequentissima et vehementissima in stadio medio ac postremo obvenit. Tum est infirmior, tum validior: aeger percipit fastidium et gravedinem post coenam, proclivitatem ad acidum et amarum ructum, et interdum vomitus levior existit. Saepenumero ventriculi affectio characteri vomitus nervosi vel chronici magis appropinquat. Irritabilitas tanta est, ut cibi raro retineantur.

Secundum observationes auctorum Blackall, Bright, Andral solet in morbo nostro febris adesse; idem etiam cum rheumatismo chronico complicatus invenitur.

Non minimi momenti sunt, praesertim ad prognosin, symptomata cerebri irritati vel pressi, quae ureae in sanguine retentae vi in cerebrum gigni dicuntur. Plerumque a cephalaea incipiunt, quae in morbi fastigio aut in deliria, apoplecticas vel convulsivas affectiones abit, aut dolore non praegresso, obnubilatio, somnolentia, stupor, coma incedunt. Urina tum saepe suppressa; attamen Christison coma nasci videbat, quotidie usque ad mortem triginta unciis urinae missis; coma contra nullum, urina intra dies novem ad uncias binas minuta.

Itaque mutua conjunctio suppressionis urinae et comatis in universum statui nequit. Sed Christison affirmat, raro fieri, ut urina suppressa interitum adducat, nisi adjuncta degeneratione renum granulari in stadio primo et secundo.

Praeter symptomata, quae exposuimus, nonnunquam talia procedunt, quae affectionem pleurae, pulmonum, bronchiorum, cordis et pericardii atque peritonaei et hepatis indicant.

Creberrime pleuritis occurrit, pericarditis, peritonitis raro, maxime in stadio primo. Catarrhus cum emphy-

semate morbum saepe comitatur; interdum etiam acutus prodit tanquam bronchitis, plurimum est chronicus. Pneumonia rara est, Christison bis tantum pleuresiam ei vidit adjunctam. Testibus Bright, Christison, Gregory frequenter etiam cordis hypertrophiae vel cum valvularum vitiis, vel sine iis exstant. Secundum Bright haec affectio secundaria ex sanguine mutato pendet, qui validior tanquam irritamentum in contractionem cordis agat.

Complicatio degenerationis renum granularis cum hepatis morbo fortasse frequentior est, quam illa cum cordis malis; potissimum cum hepate granuloso potatorum consociata reperitur. Ascites gradum occupat altiorem. Porro saepius degeneratio renum granularis cum hepatis cordisque morbo juncta cernebatur. Denique Christison in typhi epidemiis et cholera maligna degenerationem renum granularem conspexit, ratus morbos illos peculiari modo corpus ad hanc degenerationem propensum reddere.

CAP. III.

Pathologico-anatomicas mutationes, quae casibus morte finitis in renibus prostabant, Bright, Rayer, Christison, alii in classes redigere ac discernere conati sunt. Magnopere hic meritus est Rokitansky, quippe qui diligentioribus observationibus et distinctione et comparatione et disquisitione mutationum pathologicarum indolem morbi aperire studeret.

Exploratum est, renum substantiam principio et praecipue affectam corticalem esse, et in morbi decursu altioribusque ejusdem gradibus etiam substantiam tubulosam corripi posse.

Rokitansky [1]) octo diversas species degenerationis Brightianae statuit, quae quidem etiam inter se conjunctae inveniuntur, et quarum altera, tertia, quarta, quinta forma, proprium morbum exquisitum Brightianum et Christisoni degenerationem granulatam refert.

Speciem primam Rokitansky sic describit: ren apparet auctus, tumefactus, gravior, tela substantiae corticalis ferme aequaliter fluido, sordide ac fusce rubescente et turbido, infiltrata est, dum in hoc colorum fundo vasa tantum sanguifera cum attingente imbibita tela obscuriorem ruborem striatum vel virgatum ostendunt. Pyramides eundem, sed obscuriorem offerunt colorem. Substantia corticalis facile rumpitur, in rupturae superficie fusce rubellum, dilutum, flocculis cum tenuissimis, turbidum, sanguinolentum, nonnihil viscidum fluidum copiosius prodit. Fascia propria sordide rubefacta, facile decorticanda. Membranae mucosae renum calycum et pelvium, similiter rubefactae, relaxatae; in cavo tenue, sanguine mucoque mixtum, viscidum, turbidum et urinosum fluidum. Haec forma autem rarissima est, et ad acutum morbi decursum pertinet, ubi sub phaenomenis celeriter ingravescentibus jam die quarto decimo morte finitur.

In specie altera praeter ponderis voluminisque increscentiam tela substantiae corticalis fluido cane vel albide rubello, aut flavido crassiusculo infiltrata videtur, insuper

---

[1]) Specielle pathol. Anatomie. T. II. Wien, 1842. p. 418.

exstant per injectionem et ecchymosin producti rubores striati vel virgati, qui eo magis eminent, quo pallidior color telae est infiltratae. Saepius singulis in locis infiltratio et pallor telae jam perfectus, dum in aliis hyperaemia et ecchymosis praevalet. Consistentia renum minus laxa, quam in gradu primo; pyramides aliquanto obscurius tinctae; ceterum ita comparatae, ut in forma prima.

In specie tertia voluminis ponderisque increscentia insignis, telae anaemia substantiae corticalis perfecta, quae substantia crassitie ad quinque vel novem lineas increvit; superficies ejusdem et laevis et tenuiter splendens, turgida, macrida, magnaque copia liquoris in modum lactis turbidi, albidi vel flavidi repleta. Maxime in strato supremo ex albide vel albide flavidis granulis laxis (Brightii granulationibus) videtur constare. Renum calyces sunt pallide rubri, et granulari substantia corticali deorsum inter tubulos invadente eosque sejungente, in basi formam accipiunt cristae vel etiam mergitis. Fascia renalis facillime solvenda.

In forma quarta, volumine et pondere multum increscente et nexu laxato, tela sustantiae corticalis plane anaemica, facile rumpenda, succo flavido referta apparet. Granulationes, majores quam grana milii, super superficiem renum procedunt, eique speciem impertiunt glandulosam.

Granulationes in modum brassicae botryitidis sese extendere possunt, vehementer mollescunt, et pressae facile diffluunt. In renum calycibus et pelvibus fluidum crassiusculum et flori lactis simile. Renum pyramides Malpighii fere cognosci nequeunt.

Altera, tertia, quarta species stadia metamorphosis Brightianae exhibent, quae aut sensim, aut saepius etiam celerrime in se invicem transeunt. In specie quinta renes aut majores, aut volumine normali, aut imminuti sunt. Superficies glandulosa vel plurimis in locis lacunatim excavata, cicatricum instar incurvata; substantia corticalis crassis granulis praedita, valde vasculosa et sanguine abundans, vasa ejus varicosa, vel renibus magnopere comminutis pallide flavida, vasorum sanguinisque egena, densa cellulofibrosa textura. Fascia propria in casu primo laxa, in altero incrassata; pyramides evanidae, densiores; calyces et pelves nonnihil corrugati.

In hac forma processum conspicimus diminutionis renum in textura sua destructorum, qui tanquam atrophia secundaria apparet.

Minore auctione ponderisque increscentia in specie sexta substantia renum corticalis pallide rubella et materia crassa, flori lactis vel albumini coagulato simili infiltrata cernitur.

In forma septima substantia corticalis interdum corrugata et minuta. Densitas ejus et consistentia adaucta. Eadem saepe in locis amplissimis pallida et languide alba, quod coagulata, albuminosa, lardi speciem referente substantia efficitur, in qua tela renalis sine vestigio interiit. Ren hoc in loco pseudoplasmate deposito tumefactus, aut corrugatus; fascia propria cum renum portione affecta concreta. Renum calyces et pelves parietibus suffarcinatis. Forma sexta et septima ad decursum morbum chronicum pertinet.

In specie octava Rokitansky dicit renes paulum modo adauctos, sed semper mirum in modum solidos.

Sordide rubella vel coriacea coloratione maxime substantia corticalis lardose cereum splendorem habet, plurimum dura facileque rumpenda, lardose albuminosa substantia pellucida infiltrata. Passim superficies et pars secta speciem marmoream refert. Hanc formam Rokitansky ait ex inveterata scrofulosi, rhachitide, praesertim vero syphilide et cachexia mercuriali nasci.

Circa subtiliorem disquisitionem mutationis structurae renum allegamus scripta Glugii[1]), Valentini[2]) et Hechtii[3]), quorum quidem sententiae non plane conveniunt. Hoc tantum addiderim, corpuscula Malpighiana in substantia corticali sanguine carentia, vasa contra substantiae medullaris, sicut in statu normali, sanguine repleta inventa esse.

Praeter hasce pathologico-anatomicas mutationes renum maxime repertae sunt alterationes hepatis, inprimis cirrhosis apud potatores, aut hypertrophia vel dilatatio cordis, et vitia aortae et valvularum. (Bright[4]) in casibus centum abnormitates cordis deprehendit septuagies), concretiones pleurae cum seri effusione, tubercula pulmonum, oedema, bronchitis, emphysema singularum partium, superatae pneumoniae vestigia.

Gregory[5]) in quadraginta octo exemplis vicies ter

---

1) Schmidt's Jahrb. XXI. p. 58.

2) Repert. f. Physiol. etc. 1837. H. I.

3) Diss. de renib. in morb. Bright. degeneratis. Berol. 1839.

4) Cases and observ. of renal disease, accompanied with the secret of alb. urine; in Guys hospital reports. Vol. I. Lond. 1836.

5) In Edinb. med. and. Surg. Journ. N. CIX. et CX. p. 315. Samml. auserles. Abhand. T. 39. p 631. T. 40. p. 108.

mutationes pulmonum reperit, in quorum novem tuberculosis. Substantia cerebri plus minus clare opalescere et, teste Babington[1]), fluidum in ventriculis cerebralibus effusum ueream continere traditur.

CAP. IV.

Morbi decursus multis rationibus plures res offert singulares. Discernitur acutus et chronicus, qui posterior frequentissimus est. In forma acuta sensu frigoris calorisque praegresso repente morbus prodit, sitis est magna, frequens ac durus pulsus. Aegri parcam mittunt urinam, quae quidem adhuc acide reagit, colorisque est rubelli fusci, adeo sanguinei, qui aliquot diebus post flavescit. Exacerbationibus intrantibus rubor sanguineus redit. Aegrotorum saepe vehemens desiderium urinae reddendae cum praetereunte quadam difficultate vel dolore. Vehementia in mingendo, copia albuminis in urina minor quam in specie chronica. Insuper dolor vel sensus gravedinis in regione renali, anasarca, acceleratio pulsus, aucta cutis temperies, siccitas cutis, appetentiae defectus, fastidium, ipse vomitus, oppressio cum tussi vel sine ea existunt. Sanguis ex vena missus crusta phlogistica tegitur placenta sanguinis contracta. Ubi status non redditur melior, morbus in suo decursu cum alio aliorum organorum complicari potest, eoque letalis fieri,

---

[1]) Considerations with respect to the blood med. chirurg. transact. Vol. XVI.

veluti cum pulmonum oedemate, bronchitide, pneumonia, phthisi, inflammatione pleurae, pericardii, peritonaei; aut mors sub stupore, comate, deliriis, convulsionibus repente ingredientibus ingruit.

Frequentissime autem symptomata reactionis tantummodo illis stadii passivi seu chronici viam muniunt. Quando vero valetudo melior redditur, cum albuminis contento in urina hydropica quoque phaenomena evanescunt, urina qualitatem suam naturalem recuperat, cutis universali contegitur sudore, qui passim odorem vehementer urinosum habet, et in forma acuta saepius jam post duos vel tres dies consequitur.

Forma altera chronica maxime insignitur uberrimo albuminis contento; aquae effusio incertis temporis spatiis sequitur, haud raro post menses demum, quum jam diu albumen in urina exstitit. Febris prope nulla adest, nec magis sitis aucta, nulla oppressio; organa pectoris cavique abdominalis ab initio minus laborant, sed morbo diutius constante plus minusve malum participant, quod ubi fit, febris quoque prodit et aegrotus diarrhoeis diuturnis maorescit.

Hydrops magis universalis evadit; crebro speciose in melius vertitur, quo pejore specie revertatur, id quod saepius repeti potest. Quo modo morbus noster plures menses, saepenumero etiam annos latere potest, quoad tandem aegri exhausti confectique succumbant.

CAP. V.

Ut in omnibus morbis hic quoque ab initio causae praestantissimae investigabantur. Quum potatores potissimum eo correpti cernerentur, abusus spirituosorum tanquam in renes vehementer agens irritamentum, quod diutius constans organi principio immodice secernentis structuram postremo immutare debeat, causa morbi principalis habebatur. Non minoris ponderis esse videtur vicissitudo temperaturae, longior commoratio in humido aëre frigido: haud raro quidem inveniebatur apud nautas, lotrices, aurigas, utpote frigori frequentius expositos. Solon memorat in quatuor a se observatis exemplis ictum in lumbos ab aegris causam dictum esse. Insuper saepe post scarlatinam, in hominibus scrofulosis reperiebatur. Anderson[1]) affert abusum hydrargyri, sicut arthritidem, perversum usum chinae et ferri, localem violationem et inflammationem renum, morbos organorum digestionis, quibus nutritio corporis sanguinisque mixtio depraventur, nimium haustum potulentorum frigidorum post exaestuationem. Secundum Osbornum abusus medicamentorum diureticorum et salium morbum provocat.

Saepius apud mares quam apud feminas invenitur, creberrime circa aetatis annum 30 vel 50; sed apud in-

---

[1]) Lond. med. Gaz. Vol. XV. March 21 u. 28. 1835. Ueber die von den Nieren ausgehende Wassersucht. Schmidt's Jahrb. IX. p. 305.

fantes quoque annorum quinque vel decem, potissimum post scarlatinam.

Classis hominum media et infima, quod morbi attinet frequentiam, non magnopere differre videntur.

Quas attulimus res aetiologicas, eae, si vim in organismum accuratius consideraveris, praeter scrofulosin, morbum ipsum videntur non provocare posse, sed plus minusve praedispositioni favere. Plerumque morbus sensim sensimque sine ulla causa manifesta, vi turbationis in constitutione universali nasci videtur. Vel in formis acutis, quae manifeste refrigeratione exortae sunt, si inquisiveris, reperies, morbum clam causa quadam constitutionali jam prius exstitisse, novamque perfrictionem prioribus symptomatis characterem acutum indidisse.

Ut mittamus diversa in introductione memorata judicia de morbi indole, haec in mutata sanguinis mixtione maxime niti videtur, qui, ut vidimus, in sero plus aquae, minus albuminis saliumque et morbo exeunte minus haematini continet. Igitur organa secretioni tam gravi inservientia quam renes, si ab externis vel internis potentiis nocivis, uti suppressa cutis functione, immodico usu spirituosorum atque aliorum diureticorum, irritamenti instar agentium medicaminum petuntur, morbose affecta in tali sanguinis qualitate abnormi elementum fortasse ex eo facilius expellendum, *albumen* secernant. Imminutum salium contentum in sanguine nescio an excretioni ureae impedimento sit; urea in sanguine residet, et in organismo, praesertim in systema nervorum vim perniciosam exserit. Aqua in sanguine aucta dilutaque exsudationes varias commovet. Sicut in tuberculosi pulmones per catarrhum vel alias causas in degenerationis processum

incidunt, sic quoque in hac peculiari sanguinis qualitate renes, a rebus nocivis correpti, degenerare et morbos, quos supra adduximus secundarios, comites habere posse videntur. Renum degenerationem ex dyscrasia nasci posse, id species illa octava a Rokitansky descripta declarat. „Sie geht, inquit, immer ohne Reaction aus einer inveterirten Scrofulosis, Rechitis, insbesondere aber Syphilis und Merkurialcachexie hervor; sie existirt als eine constitutionelle Infiltration neben dem nämlichen Leiden der Milz und der Leber als Infiltration derselben mit einer speckig-albuminösen Substanz, und bleibt in Rücksicht der Wesenheit dieses Produktes überhaupt sowohl, als auch der Anomalie der Blutmasse einerseits und jener des Harnsekrets andererseits ein Problem. Auch im Gefolge der Intermittenz haben wir sie einmal neben dem analogen Zustand der Milz gesehen."

Accuratiores disquisitiones qualitatis sanguinis in diversis dyscrasiis, ut in hoc morbo ipso, priusquam secundarius factus est, sine dubio indolem morbi magis illustrabunt.

CAP. VI.

Prognosis mala est, eoque quidem pejor, quo magis aegrotus dyscrasia laborat, quo longius morbus perstitit, quo major est suspicio, degenerationem renum exstitisse, quo frequentior ejus est reditus, quo plura mala secundaria accedunt.

Si quis quaesiverit, num morbus possit sanari necne, hoc quidem affirmare licet, sed in rarissimis tantum casibus.

Ubi adhuc evolvitur, vel per scarlatinam prodiit, profligari potest. Quando regreditur, hoc nondum probat, morbum non sanatum esse, quia aeque atque in morbis aliis praedispositio quaedam restare potest. Signa quod attinet singula vel fausti vel infausti exitus, hae regulae fere exploratae haberi possunt: quo copiosior et albumine abundantior urina, quo minus ejus pondus specificum, quo pallidius tincta, quo magis spumat, quo magis haematinum in sanguine decrevit, tanto pejor prognosis. Laetum signum est decrescentia contenti albuminis et reditus ureae in urina; albuminis praecipitatum, praeter imminutionem, pro alba vel albide cana coloratione rubellam accipit, si pondus specificum augetur. Infaustior etiam prognosis, quo minus cutis fungitur, quo saepius oedema revertitur, quo latius hydrops expansus est. Sensim evanescentia symptomata hydropica, si simul albuminis contentum urinae comminuitur, boni ominis sunt. Ubi vero urina albuminosa perstat, reditus est timendus.

Quod spectat ad corporis mala secundaria, dyspepsia non sine difficultate removeri potest, sicut vomitus chronicus, diarrhoea pertinacissima, crebro mortem afferens; pleuritis apta curatione tolli potest, nec minus pneumonia, cum successu prospero tractari. Rheumatismus chronicus facile recidit; hepatis cordisque morbi cum organicis renum mutationibus remedio nulli cedunt. Catarrhus chronicus pertinacissimus; dyspnoea spastica in catarrho sanari potest; stupor, prodromi comatis, apoplexia, signa sunt pessima. Collectiones serosae, excepta cerebrali, in universum non difficile profligantur; ubi cum cordis hepatisque morbis complicantur, lente et imperfecte tolluntur; in stadio extremo difficilius cedunt, et ad redeundum magnopere inclinant.

Prognosis pejor anasarca valde extensa, quoniam ad inflammationem et gangraenam proclivis est.

Potatores in periculo summo versantur. Non omnibus temporibus morbus Brightii pari utitur frequentia.

CAP. VII.

In morbo curando secundum hodiernae scientiae nostrae statum, tres potissimum indicationes offeruntur. Prima removendas causas nocivas complectitur, sicut, quum morbus acutus prodit vel sub reactione, statum inflammatorium profligandum; altera indicatio emendationem sanguinis, tertia curam malorum secundariorum, respecto morbo primario, comprehendit.

In morbo acuto igitur causis nocivis, quas novimus, sublatis, totus apparatus phlogisticus in usum vocari debet, qui omnibus consentientibus plurimum proficit. Conditio sanguinis, febris intensitas et constitutio aegroti indicant, utrum universales-an locales sanguinis detractiones repetendae sint. Post eas symptomata decrescunt, exsudationes serosae resorbentur, dolores remittunt, urina minus fit sanguinolenta minusque coagulabilis. Videtur maxime venaesectio sanguinis mixtionem vehementer commutare.

Tum a Brightio collaudatus *tartarus depuratus*, qui, quando diarrhoeam excitat, *cum opio vel hyoscyamo* conjungi potest, multum affert utilitatis. Ad excitandam cutis functionem plerumque suppressam certissime prodest *pulvis Doweri; ter per diem Gr. V vel VIII*, ut balnea tepida, cutis frictiones. *Tart. stib. cum spiritu Mindereri* et balneis vaporariis magis ad formam chronicam aptus.

De pretio diureticorum inter medicos discrepat: Osbornus quidem ea rejicit, ex observationibus Christisoni contra eorundem usu non solum elementa urinae aquosa, verum etiam copia ureae saliumque in urina augentur. Omnium diureticorum maxime digitalem laudamus: auctoribus Blackall, Mateer et aliis, praesertim inflammatione sublata, optimum habet effectum, et latentem inflammationem in specie chronica obviam removet. Christison *digitalem* porrigit cum *cremore tartari*. Derivantia, uti *vesicatoria*, *fonticuli*, *setacea* lumbis applicata, inflammatione superata, sicut in forma chronica optime impenduntur. Caveantur purgationes vehementiores, quoniam diarrhoeas producunt haud facile cohibendas, nec nisi ubi stupor, coma imminet, ad purgantia fortiora in stadio primo, praeter venaesectionem et hirudines, confugiendum est. Etiam diuretica, teste Christisono, in comate adhuc prosunt. In comate sanguinis depletiones stadio extremo caute instituantur; diuretica hic quoque conducere dicuntur, aeque ac nonnunquam purgantia fortiora: Osbornus *magnas doses calomelanos* praedicat, Sabatier chinam et vesicatoria capiti imposita.

Profligatis minantibus signis inflammatoriis, ut reditus prohibeantur, indicatio altera, commutatio sanguinis qualitatis exsequenda est. Hansen hunc ad finem acidum nitricum commendat, alii jodum, alii, uti Mateer, *ferrum carbonicum vel tincturam ferri pomatam* adjuncto pulvere *uvae ursi*, praesertim in personis chloroticis, leucophlegmaticis; ubi excitabilitas organorum urinalium exhausta, secundum Mateer nihil prosunt. Alii calomelanem, alii ammonium praedicant; illud quidem perniciosum existimatur, quia malum descriptum producere

videtur. Rayer laudat rad. cochlear. armor. tanquam specificum:

Rp. Cochlear. armor. incis. ℥I
Inf. c. aq. bullient. ℔.I
stet per horam loco tepido
adde syrup. simpl. ℥Iβ
S. quotidie sumatur.

Praeterea quotidie etiam *armoraciam* ad carnem administrat et alvo lenta *olei crotonis* gtt. $^1/_4$ vel gtt. I pilularum forma. Denique etiam *diaeta lactea* commendanda est.

In specie chronica juxta explendam indicationem secundam aegri potissimum a potentiis nocentibus tuendi et reactiones vitandae sunt. Cura diaphoretica hic quoque, maxime cutis functione suppressa et in ejusdem torpore laudanda est; apud potatores fortasse amara, opium magnis dosibus nonnihil conducunt. Derivationes in regionem lumbalem pariter instituantur.

Mala secundaria requirunt curationem ipsis convenientem respecto morbo primario. Provocamus ad ea, quae Christison hac de re praeclare scripsit in libro de renum degeneratione granulari ejusque conjunctione cum hydrope, inflammationibus morbisque aliis.

MORBI IN CLINICO HALENSI OBSERVATI.

Historia prima.

Otto, annos triginta unum natus, sutor, leucophlegmaticus, ex Decembri a. 1844, vehementi rheumatismo laborabat; sex mensibus post subito facies, extremitates superiores et inferiores intumescebant, et mense post

diarrhoea corripiebatur. Septembri a. 1845 in clinico medico recipiebatur. Anasarca universalis, cutis sicca, urina multum albuminis continens, ferme tres quadrantes per calefactionem et acidum nitricum coagulabantur. Pondus specificum 1,013. Copia urinae normalem fere aequans: nulla amplius diarrhoea (cremor. tartar.) Aquosae sedes cum magna lassitudine et debilitate consequebantur. Albuminis contentum in urina idem. Intra dies quatuordecim hydrops sensim evanescebat, abdomen tactum dolebat, quotidie septem vel octo sedes vehementes cum constante majore albuminis contento in urina. Marasmus, collapsus, quantitas urinae valde imminuta, circiter unciae quinque; imo tribus diebus ante obitum diarrhoea remittebat.

Sectio: tuberculosis pulmonum, fungus medullaris in hepate singulis partibus nucis magnitudinem aequantibus inclusus; lien adauctus, evoluta degeneratio glandularis Brightiana renis utriusque; in intestino tenui singulae glandulae solitariae nonnihil eminentes: in colo descendente ad flexuram ulcus cicatricibus obductum, membrana mucosa canalis intestinalis passim crassius injecta.

Historia altera.

Augustus Mueller, tredecim annos natus, antea semper bona usus valetudine, sed constitutione tumida phlegmatica, medio Octobri anni praeteriti scarlatina affectus est, quae plane regulariter, si discesseris a capitis obnubilatione, decurrebat; die octavo post morbi eruptionem desquamatio epidermidis magnis, plures pollices longis partibus. Aeger optime valebat, nec amplius in conclavi retineri poterat. Paucos post dies intumesce-

bant tonsillae, lingua fuligine obtegebatur; sapor amarus, vomituritio, alvus suppressa, pulsus sexaginta ictuum in minuta, regio cardiaca pressa valde sensibilis (sex cucurbitulae in regione ventriculi imponebantur, acid. muriat. concentr. in decocto radicis Althaeae dabatur). Diebus proximis discedebat vomituritio et sensibilitas in regione ventriculi, contra dolor in dextra regione renali, urinae secretio valde imminuta, ad ℥VI vel X quotidie. Urina multum tenebat albuminis (quatuor hirudines regioni renis dextri applicabantur). Die postero facies oedematose tumefacta, praesertim palpebrae inferiores infiltratae, oculique ipsi in cavum suum repulsi. Faciei color sordide albus, cutis sicca (sex balnea acidi muriatici et acidi nitrici, pro potu lac vel nonnihil aquae petrosilini). Copia urinae fiebat normalis, aliquantulum tantum albuminis adhuc continebat; appetitus et valetudo universalis.

Novembri undecimo passim vomitus, lingua sensim fuligine iterum obducitur, dum alvus est suppressa. Vomitu ejecta viridis albidi muci cum frustis ciborum non concoctorum mixta, ventriculi regio pressa sensibilis (cucurbitulae, pulvis aërophorus). Vomitus videbatur augescere et meridie Novembris quinti decimi convulsiones in vomitu. Quum aegrotus vomere inciperet, primum palpebrae, tum reliqui musculi faciales convellebantur; deinde aeger manibus suis motibus oscillantibus semper propius ad caput accedere incipiebat, pollice inflexo. Deinde pedes adversus abdomen movebat et extendebat celeriterque flectebat saepius. Per diem hujusmodi impetus plures, tres minutas explentes. Post impetum aeger obdormiscebat, clare citoque respirans. In impetu quarto a latere dextro proficiscebantur et a capite usque ad

pedes pergebant, latere sinistro quieto. Postea in latere dextro convulsiones plane disparebant, jamque solum latus sinistrum corripiebatur. Dextra palpebra superior paralysi afficiebatur, pupilla valde dilatabatur, tunica cornea muco obtegebatur, oculo ipso introrsum verso. Latus dextrum paralyticum, sed tactu calidum, convulsionibus in latere sinistro increscentibus (octo hirudines, frigida cataplasmata capiti applicata, acid. muriat. interne). Per noctem convulsiones intervallis horae dimidiae redeunt; postridie conscientia sublata, coma cum respiratione stertorosa, sedes et urina involuntariae (calomel). Convulsiones evanescebant, conscientia nondum reversa, nullus dolor in palpebra dextra attollenda, sed dolor et convulsiones in attollenda sinistra.

Novembri septimo decimo reditus conscientiae, regio renalis tam dextra quam sinistra pressa magnopere sensibilis; urina paucissima rubore sanguineo; quatuor partes de quinque albumen, alvus suppressa (quinque hirudines ad quemque renem et clysma solvens).

Novembri octavo decimo valetudo melior, nonnihil appetentiae, sedes copiosa et aliquanto plus urinae. Die undevigesimo lapsus in soporem, coma, sedes involuntariae; urina prorsus suppressa; sub vomitu cum convulsionibus redeunte aegrotus obiit.

Sectio non concessa.

Historia tertia.

Lindner lotrix, mater plurium liberorum sanorum, parentibus sanis nata, constitutione valida, prope semper bona valetudine usa, tricesimo octavo aetatis anno morbo, quem praesenti dixit simillimum, corripiebatur. Quum

vehementi refrigerationi exposita esset, subito post frigoris horrorem et calorem pedes, crura superiora inferioraque et tum abdomen intumescebant, cum urinae molestiis et doloribus in regione lienali. Celeri tantum ope medici, qui inter alia quoque venam secuisse dicitur, restituta est post tres hebdomades sub sudore et urinae crisibus. Ex hoc autem tempore aegrota referebat noctu e somno expergefactam se interdum urinam mittere debuisse, quod antea non factum esset. Praeterea se post iram, contentiones corporis, praesertim sese deorsum inclinando, obtusum dolorem pulsantem in dextra regione renali sensisse et ex rheumatismo laborasse, quando perfrictionem quandam subiisset, aut tempestas humida frigidaque fuisset. Quae molestiae exiguae vehementissima refrigeratione recente maxime increverant. Aegrota post impetus frigoris et caloris valde inquieta fuit oppressione pectoris et angore huc illuc jactata, de sensu exstinctionis et obtuso dolore torquente in dextra regione renali, de vehementi a fronte dextro usque ad occiput et cervicem extenso dolore lacerante, de magno calore et siti, fastidio et urinae mittendae desiderio conquerens. Tegumenta abdominalia et lumbalia oedematose tumida, imprimis illa lateris dextri, hypochondrium dextrum et dextra regio renalis pressione dolens. Tumor a latere dextro profectus ad sinistrum propagatus esse dicebatur. Quum aegrota in dextro jaceret latere, dolorem a dextro ad sinistrum latus tendentem percipiebat. Alvus obstructa; urina tenuiter acida, parcissima (℥VI), fusce rubra, spumans, pondere specifico 1,014, calore acidoque nitrico tractata multum albuminis continens (sub microscopio massa tenuium granulorum, quae insularum instar cohaerebat). Respiratio accelerata;

lingua albide obducta, sicca; facies tumefacta, tensa. Superiores vertebrae pectorales pressione dolebant: crura superiora inferioraque et pes uterque valde oedematose tumefacti, pariter ac manus, minus vero brachia; pulsus frequens, durus, cutis calida, sicca, tensa.

(28. 9. 45.) Cubiculum siccum ab aëre defensum, sicca temperies modica apparabantur (clysma, venaesectio ℥VIII, sedecim cucurbitulae, tart. depurat., infus. flor. samb.). Sanguis crusta phlogistica tectus, serum nonnihil lacteum, turbidum, pondere specifico 1020. Secundum methodum Christisoni in illius uream inquirebatur. Insignis numerus fusce flavidarum squamularum crystallinarum postremo per acidum nitricum formabatur sub effervescentia et proprio odore urinoso. Etiam perscrutatione microscopica clarissime crystalla ureae nitricae cognoscebantur.

Aegrota (29.) post alvum solutam et sanguinis depletiones quietior, pulsus mollior, sed adhuc frequens; somnus inquietus, deliriis interruptus. Cutis horis matutinis universali sudore urinose olente contecta: dolor adhuc in regione renali; tempore pomeridiano vomitus, duae sedes nonnihil tenues, urinae ℥VI, color non tam ruber, pondus specificum 1,018. (tart. dep., infus. flor. samb. cum lacte).

(30.) Somnus turbatus, somniis interpellatus; trahentes dolores in collo sinistro et sinistro brachio; scintillatio ante oculos, in erecte sedendo et loquendo tussis sicca, auscultatio et percussio normalis, pressae vertebrae pectorales dolentes, urina aucta (℥VIII), pondus specificum 1,021, albumen urinae granulosum, color urinae magis flavidus, turbidus, alvus soluta, sudor super totum corpus, forti odore urinoso; pulsus mane octo-

ginta ictuum in minuta, vespere nonaginta. (1. 10.) Somnus inquietus, deliriis interruptus, dolor in cervice et regione renali, copia urinae ℥XII; pondus specificum 1,021, albumen copiosum. Tempore pomeridiano vomitus, alvus tenuis, fusce viridis, pulsus ictuum nonaginta sex in minuta, sudoris copia minor (cucurbitulae sedecim, pulv. Doweri) (2. 10). Usque ad mediam noctem insomnia, spasmi ventriculi, tum ad tempus matutinum somnus quietus. Dolor in regione renali sublatus, urinae unciae sedecim, color fusce flavidus, albuminis contentum non auctum, pondus specificum ut die praeterito (3. 10). Somnus inquietissimus cum deliriis conjunctus, aegrota magnam accusat lassitudinem ac sensum, quasi articuli omniaque in abdomine solverentur. Rigor doloresque in cervice et superiore vertebra pectorali, minor dolor in dextra regione renali, diarrhoea, urinae unciae quatuordecim, pondus specificum 1,021, albumen granulosum (infus. Digital. purp.) (4. 10). Somnus non inquietus, sudor super totam cutem, forti odore urinoso, caput prorsus liberum, rigor et dolor in cervice atque regione renali nullus, sedes normales, urinae unciae viginti, pondus specificum et copia albuminis ut pridie, pulsus ictuum octoginta in minuta (5. 10). Post somnum recreantem aegrota valetudine optima fruebatur, nisi quod pressa superior vertebra pectoralis aliquantum dolebat. Oedema per totum corpus mirum quantum decreverat; copia urinae ad ℥XXII aucta, ejusdem color magis stramineus, pondus specificum idem (6. 10). Hoc ex die infuso Digit. purp. ℈I, scrupulo dimidio postea adjecto, celeriter revalescebat. Oedema corporis semper plus imminuebatur, ita ut die quarto decimo plane evanuisset. Urina candefacta et acido nitrico tractata tan-

tummodo nubeculam albam ostendebat, color ejus normalem aequiparabat, pondus specificum 1,026. Quantitas unciae viginti quatuor vel triginta. Ulcus artificiale regioni renali applicabatur, et convalescenti imperabatur, ut perfrictionem caveret et laneis vestimentis uteretur. Die vicesimo quinto in urina nullum amplius vestigium albuminis, neque adhibito sublimato et ferro hydrocyanico. Oedema plane disparuerat, urinae unciae XXXV vel XL; pondus specificum 1,028, normali igitur par; functio canalis intestini bene procedebat, cutis turgescentiam, levitatem et humorem recuperaverat; exhalatio proprium illum odorem urinosum non amplius spargebat, et aegrota jam sanata e cura dimitti poterat.

V I T A.

Eduardus Thorn Neovedanus. Natus sum a. MDCCCXXI. die VII. mensis Septembris patre Guilelmo, quem mortuum lugeo, matre Maria e gente Guise. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus, juvenis quindecim annorum gymnasium Wetzlariense adii, ubi per quinque annos et dimidium litteris humanioribus operam navavi. Maturitatis testimonio instructus, tempore paschali anni MDCCCXLII almam litterarum academiam Fridericam Guilelmam Rhenanam petii, inter cujus cives a rectore magnifico Ill. G. Bischof receptus, apud Ill. Harless, decanum gratiosi medicorum ordinis spectatissimum, nomen professus sum.

Praelectiones, quibus ibi per semestre interfui, hae sunt: Zoologia et zootomia Ill. Goldfuss; botanice Ill. Treviranus; mineralogia Ill. Noeggerath; chemia experimentalis, phytochemia et zoochemia Ill. G. Bischof.

Tum me contuli Herbipolin, ubi a rectore magnifico Ill. C. Textor civibus academicis adscriptus sum. Hic per duo semestria disserentes audivi: Ill. Muenz de anatomia, qui mihi in arte cadavera secandi dux fuit; Ill. Hensler de physiologia generali et encyclopaedia et methodologia; Ill. Osann de physice et chemia.

Semestribus duobus praeterlapsis iterum universitatem Bonnensem frequentavi, ubi a rectore magnifico Ill. Bleek in numerum civium academicorum receptus, Ill. F. Nasse, decano gratiosi medicorum ordinis spectatissimo, nomen dedi. Hic per quatuor semestria has praelectiones audivi:

De logice Ill. van Calker; de psychologia Ill. Brandis; de physiologia speciali cum experimentis microscopicis et de pathologia generali Cel. Budge; de chirurgia et aciurgia et de fasciis et instrumentis chirurgicis eorumque applicatione et usu Ill. Wutzer; de therapia generali et de speciali pathologia et therapia, de animi morbis, de legibus vitae organicae Ill. F. Nasse; de materia medica, de arte formulas medicas concinnandi, et de morbis syphiliticis Ill. Albers; de arte obstetricia et de instrumentis obstetriciis Ill. Kilian; de venenis Cel. Brach.

In exercitationibus practicis mihi duces fuere: in clinico propaedeutico et therapeutico practico medico Ill. F. Nasse per tria semestria; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Wutzer; in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in clinico obstetricio Ill. Kilian.

Mense Septembri a. MDCCCXLV Halam profectus et in numerum civium academicorum a rectore magnifico Ill. d'Alton receptus, apud Ill. Krukenberg, decanum gratiosi medicorum ordinis spectatissimum, nomen professus sum et disserentes audivi: Ill. Friedlaender de historia medica; Cel. Moser de anatomia; Ill. Blasius in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, de fracturis et luxationibus; Ill. Krukenberg in clinico medico et policlinico.

Tum hanc almam adii litterarum universitatem Berolinensem et a rectore magnifico Ill. Trendelenburg numero civium academicorum adscriptus, a Decano gratiosi medicorum ordinis maxime spectabili Ill. Hecker in album medicum relatus sum.

Per hoc jam semestre aestivum frequento scholam policlinicam Ill. Romberg.

Ex calendis Martiis munere chirurgi militaris voluntarius fungor, duce Cel. Dr. Doering.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Emetica in apoplexia cerebri sanguinea minime rejicienda.
2. In morbo Brightii affectio sanguinis affectionem renum antecedit.
3. Cura diuretica in morbo Brightii non reprobanda.
4. Verbera ex schola atque foro prorsus exterminanda.
5. Quod dicimus in gravidis *Versehen*, verum est.
6. Omni medicamini specifica inest virtus.